

QR. 252. 12.

Z c

2257

DIALOGISMVS,
Proci & Puellæ, in spem futuri
Coniugij:

IN HONOREM

FESTIVITATVM NVPTIA-
LIVM, CLARISS: VIRTUTE,
pietate & eruditione eminentiss: Viri, Dn. DAVI-
DIS KRAVTVOGELII, Fribergensis,
I. V. Doctoris, Vratislaviæ jam degentis,
Noui Sponsi:

Ducentis, pudicitia, pietate & morum ho-
nestate ornatiss: virginem MAGDALENAM,
integerr: & claritate generis, virtuteq; spectatiss: Viri,
Dn. TOBIÆ OTTOMANNI, Patricij
quondam Vratislaviensis, relictam
Filiam:

Ad diem Mens. Januarij XIII. nouo stylo:
Anno vîrginei partus

M. D. XCVII.

Scriptus amoris & piæ comprecationis ergo à
GEORGIO AGRICOLA RADE-
bergense, Verbi diuini apud Friber-
genses Ministro.

Fribergæ, Typis Georgij Hoffmanni, 1597.



Personæ colloquentes:

P A M P H I L V S & M A R I A.

Pamph. **S** Alue: sed quoniam te nomine ritè vocabo?
Te prohibens hominem dicere, dogma nouum est:
Quid taciturna stupes? quid ringeris? esse negabat
Vos homines quidam nuper, an inde doles?
Mar. **E**xcipis heu miseram mox scommate Pamphile? sexum
Famineum reputas nec meliore loco?
Esse negans homines Vxores nuper agyrta
Ipse asinus vecors, ac homo nullus erat.
Nonnè putas, adytis ex infernalibus istas,
Hoc Scurra dignas, profilisse theses?
Quis furor est, hominis, pecuinam dicere, formam?
Afferere amentem, quæ bona mentis habet?
Dum genere humano Sycophanta exautorat iste
Vxores, ortus non memor ipse sui est.
Vnde nisi è scrofa, non ex homine ille fuisset
Nasci dignus, & os turpe sibi esse Suis.
Hybrida sic dicatur, vti finxere Poëtæ
Semibouemq; virum, semiuirumq; bouem,
Impius in Numen nebulo hic cæleste, canino
Dente Creatorem rodere nil metuens.
Inq; Creaturas, in Matremq; impius ipsam.
Quæ genetrix potuit gignere tale Scelus?
Quod nunc in cineres maternos meiere tentat,
Inq; sui autores surgit ad arma ferox.
Nescit proh nescit leuis hic nugator, id esse
Nec scriptis sacris nec ratione ratum,
Mat. 20. 24. **N**atum hominis dicit se Filius ipse Mariæ,
Marc. 10. **B**estia num vel Homo, Scurra, Maria tibi est?
Luc. 18. 21. **D**em tamen, esse nefas, peperit quoniam absq; marito,
Ioan. 5. **C**hristigenam humano non reputare loco:

AB

- Ast eadem ratio reliquis est prorsus, Vt ipse**
 De grauida Christus parturiente refert,
Ioan. 16. Gaudia præteritis sentire doloribus illam,
 Causa est: In lucem jam quia natus **HOMO** est.
 Fæminea at soboles etiam, non mascula tantum
 Nascitur. Hinc **HOMINIS** nomen vtriq; manet.
 Vt breuiter dicam, multa ratione probatur,
 Bestia quod non sit fæmina, sed quod **HOMO**.
 Est aliud, quando mala Bestia dicitur Vxor,
 Herba nec est, quando dicitur herba mala.
 Ergo suis cum commentis rapiatur ad ignem,
 Fæmineum vt cesset lædere, Scurra, genus.
 Non calamus, talem, sed fulmina sæua refutent
 Empecten, dignum non quoq; Sole frui.
Pamph. Mittamus stolidum. Sed jam dixi, improba Coniunx
 Quod velut herba mala est, bestia quodq; mala.
 Dic etiam quæso, placidaq; probaq; puellæ
 Quæ prius, Vxores cur tamen inde malæ?
Mar. Ridiculum quæris, Prius an reddetur acetum,
 Quam liquor vrceolo caput inesse suo?
 Sed, cedò, cur ex me causam huius nosse laboras?
 Annè putas quoq; me de genere esse malo?
Pamph. Vel bona vel mala sis: Adamantina, ferrea, tota es,
 Vtq; calybs, toto pectore dura riges.
Mar. Parcius ista: quid hoc, Adamantina, dura? Maria
 Nominor, oblitus nominis esne mei?
Pamph. Martia dicenda es genuino nomine: Marti
 Aptum est ingenium, Martia tota, tuum.
Mar. Quid cum Marte mihi? quid bellica tela puellæ?
 Aptior est digitis lana colusq; meis.
Pamph. Nam veluti Marti est, homines occidere, ludus,
 Et mersisse neci corpora viua, iocus:

- Sic tibi. Marte magis quin es crudelis, amantes
Occidens etiam, sauior ipsa feris.
- Mar. Proh bona verba; meo strages mucrone perempta
Est vbi? Vbi manibus strata caterua meis?
- Pamph. Me miserum solùm exanguem exanimemq; videto,
Parua mora est, vt me funeris hora vocet.
Gressibus & distant vix vitaq; morsq; duobus,
Hinc vitam veluti semisepultus ago.
- Mar. Mira refers: loquitur num semisepultus? eundi,
Tu veluti, vires semisepultus habet?
Umbras optarim non plus terroris habentes,
Spectra nec occurrant horridiora mihi.
- Pamph. Tu miserum ludis ridesq; procaciter, ipse
Interea excrucior, cordoliumq; fero.
Sæuius interimis tu me, quàm vulnere, siq;
Transseat hoc à te, cuspis, adacta, latus,
Cernis, vt in facie residet palloris imago,
Nec venis humor sanguinis vllus inest.
- Mar. Quid pallor? tinctus viola est hic pallor: vt vna
Iam maturescens, pallida membra geris.
Si minus id credis, te ludi aut fraude vereris,
Fraude carens speculum consule, certus eris.
- Pamph. Nolo, quia à speculi sumuntur imagine fastus,
Et speculum quisnam det mihi fraude carens?
Vnum fraude carens speculum scio, in idq; tueri
Me iuuat, hinc poterit pallor abire meus.
Idq; tui, an nescis, oculi sunt: clarius illis
Certius et, facile est non reperire mihi.
Gratius est nil, quàm speculari semper amatum,
Hoc mihi da speculum, tùm bene sanus ero.
- Mar. Gratius est nil, quàm speculari semper amatum:
Inde tui morbi causa caputq; patet.
Morbus hic est Amor. O morbi dubie exitus: O te
Miror non dudum febre periisse graui.

Solo

Pamph. Sola Paroxismo me tu nisi sola leuabis,
 Mox implacatae mortis adibo viam.
 Non animare loco quo, sed quo suevit amare,
 Hoc anima est hominis, ceu statuere Sophi.
 Tu locus es, mea vbi est anima, in te tota quiescit,
 Tu me animare vales, exanimare vales.
 Tunc animas, quando redamas constanter amantem,
 Exanimas verò, tetrica quando proco es.
 Æstuat indomitis animus feruoribus in te,
 Acer & internis ossibus hæret amor.
 Non mihi grata quies, noctes vigilantur amarae,
 Sollicitoq; leuis pectore somnus abest.
 Siue latet Phæbus, seu terris redditur ortu,
 Tu mihi luce venis, tu mihi nocte dolor.
 Sæpe quid aggredior rerum, sumoq; labores,
 Et mecum, rebus, cogito, cedit amor.
 Sed non cedit amor rebus, Res cedere amori
 Coguntur: Quod ago, quod loquor, omne amor est.
 Sic vi sed sine vi trahor huc, retrahorq; vicissim,
 Imperium hic nullum est, & tamen imperium.
 Excutere hæc tento cum dulcia fræna, vel, an sit,
 Quæro, alius, pro me qui velit ista pati:
 Inuenio nullum, releuor nec nexibus istis:
 Ceu iuga bos odit, quod tamen odit, habet.
 Tu succurre mihi: mihi tu, dulcissima Virgo,
 Consule: te sine nil vita putanda mea est.
 Tu mihi cor proprium, tu gloria, tuq; voluptas,
 Delitiæq; meæ, Suauiolumq; meum.
 Deuorer antè, precor, vasto telluris hiatu,
 Aut subito missi fulminis igne cremer:
 Quàm facies tua apud nos euanescat in auras,
 Oblitus fidei quàm potero esse tuæ.
 Antè reuellatur caput hoc ceruice cruenta,
 Quàm tu de thalamo diripiâre meo.

A 3

Sola

Sola jaces vacuo tam longa nocte cubili,
In vacuo jaceo solus & ipse thoro.
Te mihi, meq; tibi jungant bona numina : quaeso,
Excipe me lecto, chara puella, tuo.
Dignus ego te : tu me digna : calescimus ambo :
Inq; vicem tua me, te mea forma capit.
Ergo meis precibus facile assentire, tuisq;
Fac me promissis tempus in omne tuum.
Non sic appositis coalescit vitibus vlmus,
Ut mea erunt collo brachia nexa tuo.

Mar. Pamphile, mensuram te nominis, audio, tanti
Implere, & re, quod nomine es, esse nimis.
Et video (namq; ipsa horum sum gnara dolorum)
Id morbum, quod tu diceris, esse tuum.
Morbus is est animi, quo non violentior alter,
Non curans Medicos, interiorq; lues.
Pharmaca nil profunt, congesta valentibus herbis,
Nil quoq; Dictamnus, nil Panacea juuat.
Sola puellari de cætu electa, valebit
Æstibus his animi molle malagma dare.
Quodq; à me petis hoc, luuenis bone, quaeris honestum,
Sed res solliciti plena timoris ea est.
Nubere res grauis est, & capti plena dolosi,
Quo miserè impingunt cæci in amore proci.
Pœnitet hinc facti serò, male sorte cadente,
Res quæuis nimium præcipitata, nocet.
Consilio hîc opus inprimis, differreq; prodest,
Quos recto quis vult ire tenore, thoros.
Ergo age consultò nupture, parumq; morare,
Primò, quid deceat, non videt vllus amans.
Pamph. Cæcus, amor leuis, est, animo sed iudice natus
Est oculatus, vt hic, quem modò corde gero.
Insuper augurijs permultis colligo quæuis
Inter nos pactis affore fausta thoris.

Hem

Mar,

Pamph,

Hem quibus augurijs? etiam augur es? annè volauit
Noctua, felicitis præscia connubij?
Illa volat stultis: Stultis sua stulta sinamus.
Auguria hîc vero sunt meliora mihi.
Est annis aliquot probitas perspecta parentum,
Quis genita es. Prima est hæc auis illa bona.
Scilicet est operæ precium, spectasse, petitæ
Virginis, ingenio quo sit vterq; parens.
Sæpe etenim exoritur nebulo nebulone parente,
Estq; mali corui pullus & ipse malus.
Inde nec est clâm me, monitis sanctisq; bonisq;
Imbuerint quòd te, paruerisq; libens.
Nata vbi morigera gignentis audiit aure,
Certè erit & iussis obsequiosa viri.
Augurium sic alterum habes. Pars laudis, origo
Magna, bona est: bene sed, plus valet, institui.
Addo meos etiam proavos: Virtutis amantes
Quàm fuerint, semper vir mulierq; canent.
Hisq; tuisq; æuo viridi concordia cæpta
Venit ad albentes illabefacta comas.
Nostra domus vobis jam multos culta per annos,
Nobis per totidem cultaq; vestra fuit.
Penè mihi puero tu nota puella, mihiq;
Es veluti Fratri dulcis amata Soror.
Namq; tibi in cunis (in nostro vt cætera lecto
Dem, superi faciant) oscula prima dedi.
Ætas præterea, status & res, inter vtrosq;
Penè pares. Paribus conciliatur amor.
Deniq; amicitia quod vis est magna, videris
Ingenio mores æquiparare meos.
Hisce bonis auibus, mea Lux, fore spero, secundos,
Quos meditor, nostros (numine dante) thoros.
Tu modò non alijs interstrepe vocibus, isto
Sed, modò quem capi, perge tenore sequi.

Fortè

- Mar. Fortè tenor brevis est, verùm acclamatio longa,
Musica sed non sum : Quis tenor ille tuus ?
- Pamph. Si nescis, audi iucundum Hymeneion, Ipse
Præcino: SVM TVVS. At succine tu: TVA SVM.
- Mar. Nondum tempus adest aptum, cantare triumphum,
Hoste prius capto iubilamiles agit.
Ne fiat, quod ei qui pellem vendidit vrsi
Antè, sibi fera quàm cuspide fixa fuit.
- Pamph. Quàm falsè illudis mihi Scoptica : Seria tracto,
Non joca : Venturo tempore sparge jocos.
- Mar. At mihi Virginitas magis est res seria, magnis,
Ne pereat, curis illa tuenda mihi est.
Non, expulsa semel, redit hæc. Auro omnia emuntur,
Sed solam hanc auro non reparare licet.
- Pamph. Dic mihi, Si tibi sint pomaria pulchra, voluptas,
Floribus arboreis illa nitere, foret.
Perpetuò at malles redolere ex arbore flores ?
An cadere ? & fructus inde venire bonos ?
Virginitate tumes, solo oblectamine florum,
Coniugium, fructus, negligis interea,
Quid iuuat aspectus florum, nisi fructibus vti
Fas sit ? an acciperes pro nuce quisquilias ?
Quid tibi Virginitas sterilis ? sterile scere vaccam
Non velles : sterilem non tolerasq; suem.
Hoc mihi responde saltem : Quod amanius esset
Spectaclum ? Vitis putrida humicq; jacens.
An palum aut vlmum complexa, decora racemis,
Turgescensq; vuis, palmitibusq; grauis ?
- Mar. Dic mihi tu contrà : Aspectu quod gratius ? annè
In proprio nitida & lactea sente Rosa ?
An decerpta suo fruticeto, & marcida facta
Tractatu manuum ? Dic, age, vera mihi.
- Pamph. Hanc ego, quæ frutice est ablata, & præbet odorem
Naribus, ac oculos pascit, amabo magis,
Quàm

Quam quæ perpetuò spinoso in sente senescit,
Non nares vlllos, non oculosq; iuuans,
Namq; videmus, eam tamen efflorescere tandem,
In statione licet sit maneatq; sua.
Gratius accipitur vinum, quam vappa, palato,
Est & acetosis gratia nulla scyphis.
Quanquam virginibus non mox flos ille decorus
Marcescit, simul ac concubuerè viris,
Imò virginibus multis flos ille decorus
Tum verè emicuit, cum subière viros,
Antè videbatur mihi pallida sæpe puella,
Sed post concubitum florida visa fuit.

Mar.

Atqui plausibile est apud omnes vndiq; nomen
Virgineum: grata est virginitasq; Deo.

Pamph.

Hoc non diffiteor, sed prodigiosius vnquam
Virgine, anu facta, videris annè? refer.

Atq; tuæ ipsius matri nisi floridus ille,
Te caruiffemus flore periiffet honor.

Quinimo dabimus pro te vna virgine multas,
Si thorus, vt spero, pignora chara feret.

Nec nego prorsus, apud Superos quòd pura fauores
Virginitas habet: hæc sarcina sed grauis est.

Sarcina nec tantum grauis est: exposita periculo
Est etiam, raptor ne tibi perdat eam.

Tum vi cogère & cum grandi amittere probro,
Ponere quod nunc non vis in honore, bonum.

Mar.

At sua colla iugo, thalami intrans vincula subdit,
Libertatis amans & pecus esse solet.

Pamph.

Aurea Libertas quam multos decipit, atq;
Criminis in barathrum mergit, & omne nefas.

Libera sæpe aliqua est, melius si compede vincia,
Serua omnis vitij sic foret illa minus.

B

Non

Non igitur nimium falso confide colori,
 Hanc propter reuens fœdus inire thori.
 Non rectè vtenti est Libertas noxia : cautè
 Ni frueris, fructus perniciosus erit.
 Mar. Innumera apportat, prognata, grauamina, proles,
 Nunc monita illudit : nunc quoq; morte cadit.
 Cum moritur, fletur : tædet petisse jugales
 Amplexus : cordis dimidiumq; rapi.
 Si viuit, gaudetq; malis, Cruciatu is acer,
 Ire malas sobolem, matre vidente, vias.
 Non videt hæc autem sociali iure soluta,
 Germinis afficitur non obituq; sui.
 Pamph. Hæc etiam, vt timeas thalamum, excusatio calua est :
 Est volupe, ex licito germina habere thoro.
 Morte cadunt : Quid tum ? redituri tempore viui,
 Sintnè mali, in fatis est quoq;, sintnè boni.
 Orando tua fac, ac instituendo, seuerè
 Excutiendo malum, subiiciendo bonum.
 Permultum refert, à primo lacte tenellos
 Præceptis animos erudisse pijs.
 Demus honestatis quoq; nos exempla : creabit
 Psittacus haud coruum, aut magna Leæna canem.
 Tum sua linque Deo : Meliorem quoq; parabis
 His medijs sobolem, gratior esto Deo.
 Mar. Scilicet orator te non spetiosius vllus
 Dixisset causam, Pamphile chare tuam.
 Vsq; adeò egregium tua res est nacta patronum,
 Vt persuasibilis sis, meliore nota.
 Pamph. Opto, Patrocinium mihi me non triste tulisse,
 Qualis agit causam, talis ea esse solet.
 Sed quia me charum jam dixisti, ominor inde
 Læta mihi, idcirco charior ipsa mihi es.

Die

- Mar.** Dic vnum verò mihi consolabile verbum,
F I E T : Mens fiet lætior inde mihi.
 Præproperè hoc oras : Animo rege iudice captum,
 Prona via est, illam sed sapienter eas.
 Do tibi responsum, iuueni quod dabat Oresti
 Hermione, Euripidis testificante libro,
Is petijt vitæ sociam tumido orè puellam,
 Illa verecundè sic refecuta preces :
 Me non esse mei, juris scio : adito parentes,
 Illis quod placitum est, hoc placitumq; mihi est.
 Degener est soboles, quæ fastidire parentum
 Consilia, & sibi se fas sapere ipsa putat.
- Pamph.** Ergo ambire iubes me. Non ambire pigebit,
 Nos decet hoc, sed vos dedecet, estq; nefas.
 Sed non frustrentur tua me suffragia, ne sim
 Venator turpis sic, vbi inanis ero.
- Mar.** Tu venare modò, ac indagine cinge parentes,
 Incidet in casses præda petita tuos.
- Pamph.** Pròh lætor: verbum hoc, mea Lux, quo munere solvam?
 Perpetuus vocis debitor huius ero.
Ipsè volo : tu non renuis : duo vicimus : illud
 Non caret effectu, quod voluere duo.
 Sed quod, id implendi, statuetur tempus? an vsquam est
 Qui vellet tanti nuncius esse boni?
- Mar.** Heu nimium properas : vt adhuc tua messis in herba est,
 Fide mihi, vanus sic tuus iste metus.
- Pamph.** Non numerem tempus, mihi gaudia tenta daturum?
 Tarda solet magnis rebus inesse fides.
 Stare putabo, adeò procedent, tempora, tardè,
 Dum careo veris, gaudia ficta iuuent.
 Nunc eo, quos iubeor, charos orare parentes,
 Sidare non potero munera, verba dabo.

- Mar. Hinc orator abis, sed ibi exorator abibis,
Difficile haud iter est: me duce tutus eris.
- Pamph. Tuq̄ vale, bis chara vale, ter chara valetō,
Vtq̄ satis valeas, chara valetō quater.
- Mar. Ni valeas quoq̄ tu bis, ter, quater, ipsa valere
Non potero. Nox hæc sit tibi læta precor.
- Pamph. O vtinam mox re mihi des, quod voce precaris,
Spernam, Pactoli quas parit humor opes,
Sed restat, quod adhuc tibi, Lux dulcissima, dicam:
Nilnè tui mecum, te mihi dante, feram?
- Mar. Nil nisi pastillum hunc capias, qui pectoris ægri
Leniat intereà tædia longa tui.
- Pamph. Maluerim Dominam pastilli, ea fortius isto
Leniet ægroti pectoris acre malum.
Accipio: Verùm adde mihi, quæso, oscula saltem,
Vt possim ex hac spe certus & esse rei.
- Mar. Addere nulla volo: satis est promissio: nostra
Falsò dicuntur verba carere fide.
- Pamph. Addere nulla volo: vox est ea rustica, Sed te
Ciuilem nuper credideram: Adde, rogo.
- Mar. Rustica sim sanè, modo non oblita pudoris
Sim, tenor & vitæ sit sine labe meæ,
Non ita vulgaris famæ contemno susurros,
Vt probris terras impleat illa meis.
Hinc igitur nulla addo, tibi vt tradatur amanti
A me virginitas integra flore suo.
- Pamph. O pia mens. Igitur collata per oscula furtim
Illibatæ aliquid virginitatis abit?
- Mar. Ergo alijs quoq̄ me dare velles oscula, quiuis
Vt mea, quæ tua sunt, inquinet ora procus?
- Pamph. Non ita: sed sæuo tum vultu fulmina mittam,
Et dicam: Mea sunt, Inñciamq̄ manus.

Quis

Quis falcem, in nostram, te iussit mittere, messem?
Ad spes alterius quis tibi fecit iter?
Quæ tangis, labia hæc, mea sunt: meacq; oscula sumis,
A mihi promisso corpore tolle manus.
Tolle manus, nequam: quam tractas, nostra futura est,
Non post, id tentans rursus, inultus eris.
Elige de vacuis: quod ames, aliunde require,
Si nescis, Dominum res habet ista prius.
Ergo meam dextram cape: Symbolon illud amoris
Antiquum est, ac bis terq; quaterq; vale.
Gnauiter & gere rem: Non segniter ipsa precabor,
Conferat ut, felix quod sit utriq;, Deus.

Mar.

HÆc animo lusi, Clarissime Sponse, iocoso,
Ut thalamo oratus paruula scripta darem.
Ante aliquod, mihi te cognoui, tempus, amicum,
Altius at veneror nunc, Dominumq; voco.
Sicq; minor possim maiori gratificari,
Ceu magno accepto munere, lætus ero.
Exoptata mihi nunc hæc occasio venit,
Anno qua Coniunx es nouus hocce nouo.
Ingredieris nunc vitæ aliud genus, atq; Marita
Hoc tristi dulcem tempore quæris opem.
Gratulor Vthmannam tibi spectatissime Sponsam
Sponse: pari faustè te sociato parem.
Illa etenim generis splendore & stemmate claro
Conspicua, antiquis condecoratur auis.
Se, Vthmanni, Ut Mannos semper gessisse, reperti,
In pace Utq; viri, militia Utq; viri.
Urbibus hi varijs habitarunt: Maxima verò
Pars Silesiacos incoluere locos:

B 3

Metro-

Metropolis, sita vbi est VRATISLAVIA, gentis
Illius, & Viadrus flumine findit agros.

Incolere hanc urbem placuit, quia clara, situq;
Commoda, & hic æquum cum probitate viget.

Tobias Hic quoq; confedit clarus virtute TOBIAS,
Vthman, Et celebris meritis, & pietate grauis.
Patricius Qui si viuat adhuc, loca fasue ad nostra reuerti,
quondam Tam claros natam & spectet inire thoros,
Vratisla- Gaudia quanta animo caperet? quàm lætus honores
uiensis, Pa- Eximios generi cerneret ipse socer?
rēs sponse.

Nicolaus **T**RES VTHMANNORVM verò de stirpe fuerunt
Vthman, Præcipui. Primus nomine NICOLEOS,
Senator Hic, quod erat prudens, quodq; integritate nitebat,
Vratisla- Hæc in Metropoli, quæ mihi dicta supra est,
uiensis. Ipsa Senatorum quondam ad consulta vocatus,
Consilijs urbem iuuat & auxilijs.

Sebastian. Inde SEBASTVS erat, Frater, quem bellica virtus
Vthman, Extulit, Heroicum fecit & esse virum.
Eques au- Hic retulit gestis insignia talia rebus,
ratus. Qualia nobilibus sunt bene digna viris.

Namq; AVRATVS EQVES factus fuit atq; vocatus,
Qui titulus quondam talis honorq; fuit,
Vt quoq; magnificis non vsurpare Monarchis
Sit licitum, hunc factis ni meruere prius.

Christo- Tertius in Fratrum numero, nec Fratribus impar,
phorus CHRISTOPHORVS, Mysijs incola sedit agris,
Vthman, Inq; Metallifero MONTE ANNÆ habitacula struxit,
ciuis An- Ciuis & hac vitam clausit in vrbe senex,
nemonta- Miratus venas, argentiferasq; fodinas,
nus. Per terramq; actos largifluam cuneos.

Francisc⁹ Cognatum hic habuit, fama super æthera notum,
FRANCISCVM, indictum quem nec abire sinam,
Virtute

Virtute & studijs vir præstantissimus ille,
Conseruans stirpis nomina celsa, fuit.
Galliaçq; audiuit profitentem Iura, diserto
Sontibus, ore, fuit ferre paratus opem.
Hinc quoçq; Fribergæ, PAVLVVS, transcriptor, habetur,
Partium, habet quas quis Monte metallifero.
Omnibus (vt taceam reliquos) his MAGDALIS ipsa
Addit se comitem, ac æmula, Sponsa, venit.
Qua pietate Deum venerata, & honore parentes
Quo fuerit, cunctis nuncia fama refert.
Semper amans recti, studiosaçq; semper honesti
Extitit, annitens moribus esse bonis.
Matris id exemplo didicit, de stirpe creatæ
HORNIGENA, vt fructus dant bona ligna bonos.
MAGDALIS est generis sic nobilitate celebris,
VTHMANNA, & propria laude decora fatis.

Quanta sed & Sponso tribuam præconia? Sponso
Sunt bona, per totum non numeranda diem.
Nempe Patauina est Academia testis, in illo
Quanta sit ingenij vis, animusçq; capax.
Iudicij quantum sit acumen: quamçq; facultas,
Lecta semel, memori mente tenere, sagax:
Quantaçq; doctrinæ sit copia: quanta disertæ
Gratia sit linguæ: discere quantus amor:
Quantaçq; dexteritas dubia enodare, recessus
Et Labyrinthæi Iuris adire vigor.
Hinc Themidos studio summa ad fastigia honorum
Conscendit, dignos & tulit arte gradus.
Hinc quoçq; cunctorum celebrabitur ore, manebit
Dum sua laus studijs, semper vt illa manet.
Quid memorem meritis plenum & pietate Parentem,
Vrbs KRAVTVOGELIO quo sene nostra tumet.
Cuius


Vthman,
Iurisperi-
tus D.

Paulus
Vthman,
Fribergæ
transcri-
ptor parti-
um metal-
licarum,

Zc 2257 Q1 2207307
Cuius virtutes varias, diuinatq; dona
Quis celebrem, queror heu verba deesse mihi.
Fribergæ ille diu post viuat Episcopus, illic
(Vivat) ne subeat templa maligna cohors.

NVnc Deus exaudi pia vota: Stat, ecce, jugalem
Iam Krautvogelij, Magdalis, ante thorum
Nidificare volunt duo: Sicut nulla libenter
Sola auis est: igitur nidificare volunt.
His benedic, & eis nidum concede quietum,
Quem non concutiat dissidij Boreas:
Auster egestatis non turbet: Caurus & absit
Liuoris: morbi non quatiatq; Notus.
Flare jube huc Zephyros, Subsolanosq; benignos,
Et casiam, stracten, thura, & amoma fer huc.
Qualia comportat Phœnix, reparabilis ales,
Igne sibi vitam cum rapit, igne capit.
Ignis eis sit Amor, quo corda vtrinq; calefant,
Pectora inextinctis ignibus vte duo.
Hinc & aues alias pulchras fac gignere, prolem,
Quæ patris & matris lusitet ante pedes.
Inq; parentales virtutes ac in auitas
Crescat, & in cultum, paruula turba, tuum.
Spiritualis item tibi post, ECCLESIA, nidus
Sit curæ, structas insidiasq; preme.
Halcyonum requie potius miser iste fruatur
Nidulus, Hoc anno da Deus ista nouo.


F I N I S,




B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Z c
2257



GISMVS,
e, in spem futuri
iugij:

NOREM

V M NVPTIA-
S S: VIRTUTE,
ntifs: Viri, Dn. DAVI-
GELII, Fribergensis,
islauiæ jam degentis,
Sponsi:

ietate & morum ho-
MAGDALENAM,
s, virtuteq; spectatis: Viri,
TOMANNI, Patricij
auiensis, relictam
am:

nij XIII, nouo stylo:
inei partus

XCVII.

comprecationis ergo à
NICOLA RADE-
uini apud Friber-
ministro.

gij Hoffmanni, 1597. 06. 20

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

